



The Holy See

PIUS PP. X

EPISTOLA

***QUA PIUS PP. X ARCHIEPISCOPUM NEO-EBORACENSIVM LAUDAT
OB PASTORALEM DILIGENTIAM ERGA ITALOS ILLUC COMMIGRANTES****

VENERABILI FRATRI
IOANNI MARIAE ARCHIEPISCOPO NEO-EBORACENSI

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Haud ita pridem nobilem istam dioecesim suscepisti Archiepiscopus regendam, iamque multa extant, quae pastorem diligentiam tuam egregie probent. In his laudare satis non possumus paternas quas adhibes curas Italis, qui istud commigrarunt; id curans maxime, ut tuti a variis de fide periculis in avitae religionis cultu permaneant. Huc pertinere intelligimus, quod educendis rite clericis de colonia italica proprium Seminarium peropportuno consilio condidisti, illud quidem munificentiae quoque monumentum tuae. Itaque cum gratulamur tibi ex animo, tum gratiam non mediocrem habemus, etiam quod oblata stipe sublevare angustias, quibus Apostolica Sedes laborat, studuisti. Tua vero studii pastoralis pietatisque promerita benignus Deus remuneret, suique ubertate auxilii et promoveat tua coepta, et eorum, quos beneficiis afficis, obsequium tibi amoremque in dies magis conciliet. Interea divinatorum munerum auspiciem itemque peculiaris Nostrae benevolentiae testem, tibi, Venerabilis Frater, et clero populoque tuo Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Roma e apud S. Petrum, die XXVI Februarii MDCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

*AAS, vol. XXXIX (1906), p. 21.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana